

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**Epistolæ obscvrorvm virorvm**

cvm inlvstrantibvs adversariisqve scriptis

Textvs

**Hutten, Ulrich von**

**Lipsiæ, 1864**

(Processus) Contra sentimentum Parhisiense

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-976](http://urn:nbn:de:hbz:468-1-976)

§.7. *Zelosus* est pulchrum vocabulum, et maxime theologale: quando theologi volunt dicere, quod aliquis est bonus Christianus, et habet bonam conscientiam, tunc dicunt 'iste homo est zelosus'. Et dicitur a zelus, quod idem significat quod fervor qui iacet sicut ignis in corde alicuius, qui amat fidem. et zelosi ita sunt significati per illum fervorem, quod vel-<sup>5</sup> lent libenter facere aliquid bonum, etiamsi deberent mori.

§.8. *Status* dicitur a stando, quia quando aliquis est dives, vel habet unam bonam præbendam vel dignitatem, tunc dicimus 'iste bene stat', sed quando nihil habet, et est nulla in dignitate, tunc dicitur 'male stat'.

Finit se opus egregium magna diligentia a spectabilibus magistris no-<sup>10</sup> stris compilatum, et iam melius quam ante impressum in Utopia, in im-  
pressoria Claudi Sutoris cum stella tenebrosa. Anno quo supra: cavisa-  
tum etiam est, ut in aliis, ne quis audeat post nos impressare per  
decennium.

### [PROCESSVS]

#### Contra Sentimentum Parrhisiense.

§.1. Nos presidens Scubulorum & assessorēs notum facimus per præsentes, quod anno, die et mense infra scriptis in audience publica, ubi ad iura red-  
dendum & causas audiendum pro tribunali sedere consuevimus, comparuerunt 20 coram nobis discreti & honesti viri Cutius Gloricianus baccalaureus iuris ex una, & Hackinetus Petitus cursor in theologia partibus ex altera, in causa concernente quoddam prætensem, ut aiunt, sentimentum a facultate theologica Parrhisiensi apud S. Maturinum ibidem debito iuramenti sacramento recte con-

<sup>15</sup> Hunc processum quem appello typis expressum continet 1. — MS. LAT. FOL. 239. BIBL. REG. BEROL. maximæ formæ folii 39. recta pagina 76 versibus. repetit 2. — G. Friedlaender, Beiträge zur Reformationsgeschichte. Berl. 1837. 8°. p. 118...124. — Operarum, non editoris, qui hanc satiram post Pepericorni Defensionem repeti iusserat, ut legeretur supra post pag. 180., culpa fit, ut nunc minus opportuno loco legatur. — Fingitur hoc iudicium ecclesiasticum Romæ actum ad deridendam sententiam Parisiensem d. 2. Aug. a. 1514. latam, quam Pepericornus Defens. pagg. 61 sqq. (supra p. 140. sqq.) repetit, qui etiam p. 61<sup>b</sup> (supra p. 156.) de hac 'infami sententia per Reuchlinistas omnibus nobis irreverentialiter illudente, cui titulus Nos scubulorum etc.' questus est. <sup>17</sup> Scubulorum] puto esse pro Scubitorum (== excubitorum, qui excubias agunt), i. q. scrutatorum, qui scrutantur, examinant si quid poena dignum aut iudicio emendandum sit. <sup>19</sup> quo 2. q. 1. <sup>21</sup> CVTIVS GLORICIANVS 1. sub hoc nomine Glareanum latere puto. Cf. \* Glareanus, et Epist. O. V. II. 38. <sup>7</sup> HACKINETVS PETITVS 1. Cf. adnot. ad Epist. O. V. I. 35. et \* Parvus. partibus ex alt.] sic iterum infra §. 32.

gregata contra Oculare speculum cuiusdam Ioannis Reuchlin decretum atque latum. Personis itaque illorum hinc inde legitimatis & renunciando utrobi-<sup>§.2.</sup> que modo procedendi in scriptis, sed magis eligendo quacunque voluerint verbis & ore in medium producere, proposuit præfatus Gloricianus contra sentimen-<sup>§.3.</sup>

5 tum prædictum Parrhisiense,

quod sit ab illis Magistris nostris nulliter seu magis inique iniuste temerarie iniuriouse & contumeliose contra deum & evangelicam doctrinam quam profitentur, similiter contra ius et iusticiam divinam pariter & humanam, contra naturalem æquitatem dictatum & diffusum,

10 ex pluribus causis in iure & theologia fundatis.

Primo cum talis causa sit una ex his, ut aiunt, quæ ad solius B. Petri<sup>§.4.</sup> sedem sint referendæ, & sanctissimus dominus noster manum tunc apposuerit quod eis non competierit sine nova commissione apostolica in ea causa contra sententiam a iudice apostolico latam quicquam vel sententialiter vel doctrinaliter decernere atque statuere, aut quomodolibet cauterium in alieuius infamiam inurere, etiamsi a theologis Coloniensibus magna procul dubio, ut ipsi aiunt, necessitudine iunctis iteratis epistolis etiam atque etiam efflagitati fuerint, quorum sane vota in hac parte non fuerint religione plenissima sed invidie veneno polluta & infecta.

20 Secundo si dicere vellent se doctrinaliter consuluisse, hoc non deberet<sup>§.5.</sup> valere in iudicio neque ullum iudicem movere, nisi puncta dubia iudex ipse derit, vel partes litigantes illa inter se composuerint prout de iure.

Tertio quod Ioanni Reuchlin non vocato neque citato fuerit per hoc adempta<sup>§.6.</sup> facultas recusandi consultores dantes consilium, quos potuit de manifesta & notoria suspicione & inhabilitate redarguere & reiicere, quia Parrhisienses theologi aperte profitentur se cum adversariis Ioannis Reuchlin Coloniensibus magna procul dubio semper necessitudine iunctos, et ideo se invicem nominant fratres & sorores, & sic sint familiares inimicis suis & habeant consimilem causam, & similiter quoque odiant Ioannem Reuchlin, timentes ne si literas & libros 30 Hebraeorum plantaret ita & disseminaret, sicut antea fecit de libris & literis Gracis, quod magna pars discipulorum propter politiora studia eis abstraherentur & ad veritatem hebraicam converterentur.

Quarto quod temere præsumpserint se esse patronos simul & iudices in<sup>§.7.</sup> eadem causa atque etiam propria, & quod morem supplicibus Coloniensibus 35 gesturi, ut verbis eorum utamur, ad causam nimis fuerint affecti & partiales.

Quinto, quod iniuriis convitiis et infamia Oculare speculum affecerint di-<sup>§.8.</sup> centes illi nomen speculi non sine macula esse inditum, priusquam ad sententiæ sui prolationem venirent, cum tamen autor libri nunquam fuerit maculista, sed semper tenuerit beatissimam virginem Mariam sine originali peccato 40 esse conceptam, ut libri sui ante viginti annos editi monstrant.

Sexto quod scripserint hoc sentimentum a Decano & universis Parrhisiensis<sup>§.9.</sup> academiæ theologis emanatum esse, quod non est verum, quia illorum aliqui ex doctioribus antequam sigillaretur coram deputatis prætensam hanc conclusiōnem revocaverint ex eo quod ipsi deputati declarationem libello iunctam ad communem facultatem non retulerint, quam postea ipsi præfati doctores viderint, & propterea se sana conscientia non posse talia contra Ioannem Reuchlin concludere affirmaverint.

<sup>4</sup> producere. Prop. 1. GLORICIANVS 1. <sup>20</sup> ut] aut 1. <sup>38.39</sup> maculista] i. e. Franciscanorum sententiae defensor, negantium immaculatam Maris conceptionem.

- §. 10. Septimo quod multi eorum non plene intellecta materia in facultate surrexerint, & vota sua qualiacunque in alios suos socios libere contulerint, ex quo sequatur quod non omnes doctores totius facultatis votaverint.
- §. 11. Octavo quod in facultate quando aliqui doctiores voluerunt sapienter ponderare negocium, & aliquid in hoc negocio sanum dixerunt, tunc reliqua multitudo illiteratorum doctorum clamoribus aulam repleverint cum iniuriosis comminationibus contra huiusmodi prudentiores, quo factum fuerit ut tunc a literatis et illiteratis, sapientibus & insipientibus consilio inter se requisito ipsum tumultus præevaluerit, & non sic exactissima cura discussum, examinatum, aequa lance trutinatum, ad amussim & articulatim libratum fuerit negotium ut ipsis suis verbis iactant, & ideo nullus doctorum se nominatim manu propria subscriperit, quod tamen de iure fieri debuit.
- §. 12. Nono quamvis oculare speculum in lingua altæ alemanniæ compositum est, & eam Inferioristæ plane non intelligent, quid pro quo transferentes, tamen Parrhisienses theologi præfati solis Ioannis Reuchlin absentis adversariorum dictis credentes non fecerint comparationem translationis Coloniensium ad verum originale Speculi ocularis, cum Galli alemannicum non intelligent.
- §. 13. Decimo quod sentimentum suum fundaverint super expresse falsa causa dicentes quod autor Ocularis speculi contendenter tota animi contentione thalmudicos libros esse asservandos, cuius contrarium esse verum manifeste apparet de libris thalmudicis & quibuslibet aliis docentibus haeresim vel blasphemiam quos nulla animi contentionе asservandos contendit, sed magis igne consumendos ante omnia consuluit.
- §. 14. Undecimo quod fundaverint etiam sentimentum suum super impertinentiis cuiusdam recitatæ narrationis de Thalmud consilio Parrhisiensium theologorum combusto quondam a Parrhisiensi episcopo, cum tamen talis prætensa sententia nihil faciat ad propositum, quia res inter alios acta &c. Præterea non constat quod in omni parte fuerit tunc condemnatus, sed forte in parte ea in qua hæreses & blasphemias continebat, quam partem etiam Ioannes Reuchlin ad ignem condemnavit, et quod condemnatio Parrhisiensium non liget alias universitates patet de articulis Parrhisiensibus de quibus dicitur quod non transeunt mare, multo minus transeunt Alpes.
- §. 15. Duodecimo quod aliud sit de Iudeis in Alemannia commorantibus qui singulariter & specialiter sint privilegiati a sede apostolica quod non debeant molestari in suis libris ut patet per bullam Martini Papæ quinti.
- §. 16. Quare dictis ex causis & aliis quibusdam brevitas gratia nunc omissis petit præfatus baccalaureus Gloricianus ut coniuncta persona & interesse habens, saepè nominatum sentimentum tanquam famosum contra iuris ordinem, caritatem fraternalm, contra ius & iusticiam omnemque naturalem æquitatem emanatum per nos decerni & pronunciari nullum, irritum, inane, fastidiosum, contumeliosum & propterea suppressendum ac igne consumendum atque consumi debere, ipsosque sentimenti autores ad publicam revocationem

<sup>2</sup> vota &c.] i. e. vota sua non ipsi dederint, sed socii suis eadem permiserint. <sup>3</sup> notaverint. <sup>2</sup> <sup>9</sup> exactifs. <sup>1</sup> <sup>13</sup> ling. alt. alem.] oberdeutsch. <sup>14</sup> Infer.] die Niederländer. <sup>15</sup> quid pro quo] ut hodieque volgo dicitur i. e. inscite. falso. <sup>25</sup> theologorum 2. <sup>27</sup> res int. &c.] Cf. Ulpian. L. 1. Dig. de exc. rei iud. XLII. 2. <sup>32</sup> alpes 1. <sup>36</sup> brev. gr.] Prædicatorum et Hochstrati fere peculiaris ad ignorantiam contegendarum adhibita phrasis. <sup>37</sup> GLORICIANVS. 1.

condemnandos esse & condemnari, cum refusione expensarum, salvo iure addendi &c. prout moris est & stili.

Ex adverso proposuit discretus & honestus Cursor prænominatus animo §.17. item contestandi post praestitum de calumnia ab utrisque iuramentum, negando 5 proposita ut proponuntur & specialiter dixit quod postquam tam studiose co- §.18. lendissimi Magistri nostri laboraverint sollicitante quodam de ordine Prædicatorum Magistro nostro zelosissimo Guiliermo Parvi regio confessore cum quodam episcopo qui nunc est in magna gratia regis, quamvis ea quotidie mutari possit, quod ipse rex Franciæ de quodam libello a Coloniensibus ad Parrhienses misso 10 persuasus ut sit respersus malis propositionibus, & tendat ad finem defensionis unius libri Iudeorum nomine Thalmud, commiserit & affectuosissime precatus sit ut theologica facultas visitet & examinet bene ad longum dictum libellum, quare credit illis licuisse.

Ad secundum respondit Cursor quod quamvis possit esse de subtilitate §.19 iuris, tamen theologi non curant iura, quia non sint de facultate eorum.

Ad tertium quod super libello processerint materialiter, & sic non fuerit §.20. opus citare personam. Et quantum ad causas recusationis, respondit per iu- ramentum calumniae quod credit Parrhienses theologos affectuosissime amare fratres suos Colonienses, & econtrario Ioannem Reuchlin atque cæteros huma- 20 natitos studiosos maxime odisse, quia non curant istos poetas.

Ad quartum quod fuerint simul patroni causæ & iudices, respondit, quod §.21. credit eos hoc fecisse favore religionis, quamvis fortasse non sit iuridicum, ta- men quia rex propter tam importunam instantiam sui confessoris mandaverit, ideo facultas voluit complacere utrisque contra Ioannem Reuchlin.

25 Ad quintum quod hoc fecerint bono zelo, nec præsumendum sit de facultate §.22. theologia Parrhiana quod iniuriam cuique facere possit, ita integri viri sint.

Sextum de revocatione quorundam doctorum respondit per iuramentum præ- §.23. stitum quod credit esse verum sicut ponitur.

Ad septimum quod hoc fecerint more suo. §.24.  
30 Ad octavum respondit sub iuramento eodem quod credit esse verum ut §.25. ponitur, sed quod festinandum eis fuerit, quia timerent ne superveniret eis Breve apostolicum quod processum hunc materialem impeditivisset.

Ad nonum quod merito crediderint Coloniensibus, quia etiam aliarum uni- §.26. versitatum facultates eis crediderunt.

35 Ad decimum quod credit Parrhienses ita fuisse informatos a Coloniensibus, & maxime a Magistro nostro Arnaldo de Tungari collegii Laurentiani primario regente, qui plurimum laudatus est a Magistris nostris Parrhiensisibus super illo libro quem articulatim composuit contra speculum oculare Ioannis Reuchlin.

40 Ad undecimum quod ex quo sacrosanctæ facultatis theologicæ Parrhianæ §.28. doctissimi Magistri nostri profecto viri nunquam satis laudati solum deum pœ- oculis habentes ac pro fide & veritate zelantes ut patet luce clarius quam acer- rima ingenia, quam illuminati intellectus, quam intrepida corda pro veritate

<sup>3</sup> ex 1. <sup>7</sup> Guil. Parvi cf. Epp. O. V. II. 12. <sup>8</sup> episc.] Massiliensi, Claudio? <sup>9</sup> rex] cf. supra p. 149. <sup>15</sup> theologi 2. <sup>17</sup> recusationis resp. 1. 2. <sup>19</sup> et contra- rivo 2. <sup>26</sup> cuique] i. e. eniquam. <sup>33</sup> aliarum] Lovaniensis, Moguntinensis et Erfurtensis. <sup>38</sup> libro] Articuli sive propositiones de Iudaico favore nimis suspectæ etc. Coloniæ. 1512. <sup>40</sup> §. 28. Sensus, quamvis non sanus, tamen satis evidens, loci autem compositio corrupta est.

edicenda quanquam exercitati merito sint ab omnibus sequendi, tanquam ii qui omnia sciant & nihil ignorent.

§. 29. Ad duodecimum & ultimum de privilegiis Iudeorum Alemannorum respondit se credere theologos Parrhisienses nescivisse hoc privilegium, & fortasse si ipsi principales sui & aliarum universitatum facultates theologicæ vocassent aut citassent unquam Doctorem Ioannem Reuchlin, tunc potuissent illa privilegia vidisse & ita contrarium determinasse.

§. 30. Quare petat

se & sentimentum Parrhisiense a petitione Gloriciani absolvı cum refusione expensarum. Salvo iure &c. 10

§. 31. Nos igitur sufficienter auditis ab utraque parte propositis allegationibus, & terminis in huiusmodi negocio servari solitis, etiam ad conclusionem in causa inclusive legitime tentis & observatis, tandem ad petitionem utriusque partis matura deliberatione prius præhabita, tam theologorum quam iurisperitorum nobis consilio communicato, nostram in his scriptis tulimus & promulgamus sententiam diffinitivam in hunc qui sequitur modum.

§. 32. Christi nomine invocato pro tribunali sedentes & solum deum præ oculis habentes, per hanc nostram sententiam diffinitivam decernimus & declaramus in causa vertente inter Cutium Gloricianum ex una, et dominum Hackinetum Cursorem prefatum partibus ex altera, de & super quodam sentimento Parrhisiensem theologorum contra Oculare speculum & eius autorem lato,

§. 33. quod prefati Parrhisienses theologi hoc sentimentum indebita temerarie inique ac iniuste promulgaverint, dictumque autem Ocularis Speculi illicite & iniuriouse notaverint atque diffamaverint, & iccirco prefatum sententiam tanquam famosum iure suppressendum & de medio tollendum, atque igne publice eremandum & comburendum. Ipsos autem sententi eiudem autores ad publicam revocationem condemnandos esse, & condemnamus, cum refusione expensarum quarum taxam nobis in posterum reservamus.

§. 34. Acta sunt hæc anno, mense & die quibus supra. 30

<sup>4</sup> nesciv.] „qui omnia sciant et nihil ignorent“! <sup>6</sup> Reuchlin tunc <sup>1. 2.</sup> <sup>9</sup> GLO-  
RICIANI <sup>1.</sup> <sup>17</sup> CHRISTI <sup>1.</sup> <sup>49</sup> CUTIVM GLORICIANVM <sup>1.</sup> HACKINETVM <sup>1.</sup> <sup>20</sup> par-  
tib. ex alt.] ut §. 1.